



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput VIII. Argumenti ejusdem continuatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

Eadem libertate usus est ad Theobaldum scribens Campaniæ Comitem, quem summe diligebat; cum enim ab hoc Principe rogatus fuisset, ut ab Eugenio Papa III. alterum filio suo Beneficium impetraret, eidem in hæc verba respondit: *Scitis quia diligo vos, sed quantum, novit Deus melius quam vos. Me quoque diligere a vobis non dubito, sed propter Deum, quem si offendero, non erit quod me diligere debeatis, cum jam non fuerit in causa Deus: offendo autem procul dubio, si facio quod requiris. Nam honores & dignitates ecclesiasticas non ignoro debere illi, qui ea digne & secundum Deum administrare & velint & possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro, vel precibus meis, vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet, nisi dispensatorie quidem ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum utilitatem. Quamobrem si vobis videtur hic duras sermo, & placet quod cogitatis implere, parcite mihi; in hoc Willelmulo nostro cupio bene per omnia, sed ante omnia Deum; hinc est quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum: quod si alius secus voluerit, nolo per me habeat, ne perdam & ego Deum.*

CAPUT VIII.

Argumenti ejusdem continuatio.

Altera ratio, quam ad Beneficiorum tuendam pluralitatem nonnulli afferunt, & generalis hujusce sæculi consuetudo, quam absque diffi-

cultate plerique sectantur Ecclesiastici. Verum veritati nemo (ait Tertullianus de Veland. cing. cap. 1.) præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his enim fere consuetudinis initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur, & Æta adversus veritatem vindicatur. Sed dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit. Si semper Christus, & prior omnibus, æque veritas sempiterna & antiqua sit.

Nec consuetudo (inquit sanctus Cyprianus (ep. 74. ad Pompejum.) impedire debet, quin minus veritas prævaleat & vincat; nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est.

Veritate manifestata (ait sanctus Augustinus l. 3. de Bapt. c. 6.) cedit consuetudo, veritatis nemo consuetudinem ratione & veritati præponit, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

Idem ac antiqui Doctores novi docent. Gregorius Papa IX. ait: Licet longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitime præscripta (de Consuet.). Rationabilisne dicenda est plura Beneficia habendi consuetudo, quæ, sicut probavimus, naturali & divino juri adversatur? An præscriptionem ullam proferre potest, quæ a postremo Tridentino Concilio est abrogata?

Cardinalis Bellarminus in sua ad Clementem Papam VIII, admonitione ait Tridentinum Concilium hanc plura habendi Beneficia consuetudinem abrogasse, quam in Ecclesiam nonnulli invexerant, præterea quæ mala sunt nulla consuetudine bona effici.

Doctor Navarrus ait: *Peccat qui habet multa beneficia divisa in titulum, quorum unum suo statui decenti sufficit, vel sine dispensatione, vel consuetudine justa. Dixi, aut consuetudine justa, quia tantum, licet non plus, valeret illa, quantum dispensatio, juxta sanctum Thomam; quia utraque potest juri humano derogare, & neutra naturali, vel divino. Porro justa causa tenendi plura attento jure naturali, & consequenter dispensandi, & consuetudinem circa id inducendi, est secundum eundem circumstantia ejusmodi, quæ sufficiat ad tollendam deformitatem, quam multitudo beneficiorum præsesert (Manual. cap. 25. num. 125. & seq.).* Hæc deformitas tolli solum Ecclesiæ necessitate potest. At quot plura Beneficia possidentes possunt asserere, hanc Beneficiorum pluralitatem sibi pro Ecclesiæ utilitate esse necessariam? Contra vero qui pluribus ecclesiasticis bonis gaudent, nonne minus Ecclesiæ serviunt, & sæcularibus suis moribus plus scandali Ecclesiæ afferunt?

Tertia ratio, qua tueri nonnulli Beneficiorum pluralitatem conantur, est plurium piorum Clericorum exemplum, qui nullo circa hanc pluralitatem scrupulo anguntur. Respondeo non posse cujusquam exemplum contra Ecclesiæ canones

nonnes præscribere; sic enim præscriberetur veritati, contra quam nulla datur præscriptio. Quod si pii Clerici plura Beneficia possident, propter cætera bona opera laudari fortasse possunt, in hoc autem non laudo. Eos potius falli credam, quamvis non propterea tui sint in conscientia. Adde cum sancto Paulo: *Episcopus autem quæstus magnus pietas cum sufficienti* (1. Tim. 6.). De hoc hominum genere illud dici posset quod de Aza & quibusdam Juda Regibus ait Scriptura: *Fecit Aza quod rectum erat in conspectu Domini: verumtamen excelsa non abstulit* (3. Reg. 15.). Juxta philosophos Bonum ex integra causa, malum vero ex minimo defectu.

Si nostro hoc sæculo pii Clerici plura beneficia possident, priscisne sæculis nostro melioribus idem usu venit? Nonne Episcopi omnes & Presbyteri, quos veluti sanctos Ecclesia veneratur, hanc Ecclesiasticorum Officiorum pluralitatem fugerunt, tamquam luxus occasionem, & pravæ cupiditatis effectum? Quis autem priorum sæculorum, quæ vera pietate fulgebant, exemplum potius non sequatur, quam hujusmodi, in quo pietas sic elanguit & pene extincta est? Quis jure asserat, Ecclesiæ dignitatem alia re modo ac olim tuendam esse, ministrorum ejus videlicet pietate ac doctrina? Anne temporum regnum evasit Ecclesia, cujus dignitas temporum magnificentia sit ornanda? Nonne nostro ævo Episcopos vidimus frugales ac modestos, qui Ecclesiæ decus magis sunt tutati, & quos po-

puli magis venerati sunt, quam illos, qui splendide magnificeque vixerunt? Nonne hodie pariter quererentur populi ac murmurarent, si regio luxu Prælati sui viverent, & solum ecclesiasticum habitum gestarent?

Sancti Bernardi verbis uti malo, iis enim quam meis plus ad persuadendum inesse roboris arbitror. Sic itaque ad Pontificem scribit: Quod ad primum capitulum pertinet, *luxus interdictus, non restrictus, pœna dictata, sed minime secuta est* (de Rhemenſi Concilio loquitur, cui Papa præſederat). Jam quartus annus est, ex quo datum mandatum audivimus, & neminem adhuc clericorum privatum Beneficio, neminem Episcoporum suspensum ab officio luximus. At luctu amarissimo dignum quid secutum est. Quid est hoc? Impunitas incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutritrix, & beatus si omni fatagas cura malorum omnium primam parentem cavere incuriam. Solent dicere nunc, de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus? At forma hæc vestium deformitatis mentium & morum indicium est. Quid sibi vult, quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt, nempe habitu milites, quæstu Clericos, actu neutrum exhibent? Nam neque pugnant ut milites, neque ut Clerici evangelizant. Cujus ordinis sunt? Cum utriusque esse cupiunt, utrumque deserunt, utrumque confundunt. O miserandam sponsam talibus traditam paranympis! Qui assignata cultui ejus proprio retinere non
 veren-

verentur, non amici profecto sponsi, sed amici sunt.

Inter varios prætextus, quibus suam a Romana Ecclesia defectionem excusare novi hæretici conati sunt, Romanæ Curia, Episcoporum, ac reliquorum clericorum luxum protulerunt. Nonne igitur curandum est ut hoc scandalum tollatur, illosque Pastorum modestia allicere, ut ad ovile redeant?

Estne aliquis tam superbus & audax, ut afferat se æque servire Ecclesie plura Beneficia possidendo, ac plures fervirent, quibus Beneficia essent divisa? Huic respondeo, ad eum non spectare iudicium de servitio, quod præstat Ecclesie; ad summum Pontificem, vel ad suum Episcopum spectat definire, an tale servitium mereatur, ut ejus intuitu a canonibus, qui Beneficiorum pluralitatem prohibent, sit recedendum: an vero plures Ecclesie, quas unus habet, debito fraudentur servitio: an magni redditus, quibus unus gaudet, plures Clericos alerent, quorum singuli id præstarent, quod ille se facere jactat: an hosce redditus luxu vitiiisque absumat. Quod si horum aliquid contingat, non licet uni plura Beneficia habere; secus enim utili plurium ministerio privaretur Ecclesia, ut unius vanitas & cupiditas aleretur.

Dicet aliquis: quid refert, utrum aliquis ex uno Beneficio, an ex pluribus simul unius magnos redditus habeat? Nonne Episcopus aliqui, & Abbatia majores redditus seorsim habent, quam plures simul habeant Prioratus?

Verum

Verum profecto est ecclesiasticorum reddituum inaequalem esse divisionem. Toleranus Archiepiscopus exempli gratia centum aureorum millia reddit, Venciensis Episcopus vix mille. At non Ecclesia, sed Principum aut fundatorum liberalitas hanc facit foundationem. Hæc tamen inæqualitas nihil ad Episcopi officium spectat, quod in divite vel paupere Episcopo idem est, & ab utroque residentiam exigit. De reliquis Beneficiis idem est statuendum: singula sua habent officia, quæ Beneficiatus debet exequi. Qui majores habet redditus, non potest propterea, juxta Ecclesiæ canones, luxui & vanitati magis indulgere; hanc distinctionem sacri canones non admittunt, apud sponsam siquidem æque ac apud sponsum non est personarum acceptio (Rom. 2.). Denique extra controversiam est duo Beneficia, quorum unum pingue, mediocre sit aliud, duos esse titulos: neque Ecclesia patitur ut unus plura possideat nisi necessitas plura simul uniri postulet, ut Beneficiatus habeat unde honeste vivat, idest frugi & sobrie clericorum more.

CAPUT IX.

Idem continuatur Argumentum.

Ultimum denique effugium, quo Beneficiorum pluralitatem tueri nonnulli conantur, est nova illa distinctio, Beneficiorum nempe simplicium, & Beneficiorum curatorum, quæ vocantur etiam incompatibilia.

Tor-